

**De scirrho hepatis ... inauguraliter disputabit Ad diem xix. Junii A.O.R.  
MDCLXXXVIII. / Johannes Guilielmus Ayrerus.**

### **Contributors**

Ayrer, Johannes Guilielmus, active 1687-1688.  
Universität Altdorf.

### **Publication/Creation**

[Altdorfii] : Literis Schöningerstaedtianis, [1688]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/m9u9rtu6>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. T. O. M. F. E. J.

*De*

# SCIRRHIO HEPATIS

*JUSSV ET CONSENSV GRATIOSISSIMAE  
FACVLTATIS MEDICÆ ALTDORFINAE*

PRO  
SVMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET  
PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS  
ritè capessendis

INAVGVRALITER DISPVTABIT

*Ad diem xix. Junii A. O. R. MDCLXXXVII.*

OHANNES GUILIELMVS AYRERVS  
Noribergensis.

---

LITERIS SCHÖNNERSTAEDTIANIS.

31  
G.D.T.O.M.R.E.  
O H DEO I O G A  
Ter Optimo Maximo  
P A T R I A E  
ET  
P A R E N T I .  
Nouigideus.

D. F. N. G.

Vllam plane in universâ corporis nostri machinâ reperiri partem, quæ à sœvâ morborum tyrannide prorsus imunis sit, uti verum omnium magistræ experientiæ suffragium comprobat, ita nemo amplius in dubium vocabit: Deprehendimus namque Mnemosynes illud delubrum, quidquid in homine cœlestè est & aethereum comprehendens, cerebrum morbosis insultibus peti; Cor ἀκρόπολιν illam εὐφύλακτον iisdem percuti; Ventriculum publicum promum condum, ubi sedes appetitus & sine Apicio gulæ delectamenta, & necessariæ animantibus cupediæ latent, dicente Th. Barthol. Orat. XI. ex morbis languere & in officio deficere; viscera usu & structurâ quam maxime conspicua Epar & lienem suos perpeti manes. Nec verò instituti mei scopus concedit, nec chartarum limites, nec temporis angustia, permittunt, omnes omnium partium recensere morbos, utpote quod ceteroquin foret pensi ferè infiniti, in præsentiarum igitur ex DECRETO atque CONSENSU GRATIOSISSIMI ORDINIS MACHAONII ALTDORFINI, morbum solum illum audie magnitudinis hepar affigentem, qui SCIRRHVS HEPATIS hinc denominatur, in DISPVTA TIONE hac IN AVGVRALI, quantum quidem per ingenii atque temporis rationem licebit, explicandum sumam. Accessit etiam singularis causa impulsiva, cure ex vasto morborum numero modò nominatum seleggerim, observatio scilicet peculiaris à Parente meo filiali obsequio colendo Dn. IMMA-

NVELE GUILIELMO AYRERO , Illustris Reipublicæ Patriæ  
 Physico ordinario , anno superiori habita , quam propterea  
 Dissertationi meæ præmittere , & mirandæ amplitudinis he-  
 par , XII . cum dimidiâ librarum pondus ad æquare visum , &  
 ri incisum B. L. conspectui subjecere consultum duxi . Vixit  
 nempè Noribergæ fœmina ex fæce vulgi victui crassiori ob-  
 rem angustam domi adsueta , XXXII . annos nata , quæ sat  
 comodè degerat , nisi quod nonnunquam de dolore hypochondrii  
 sinistri querelas moverit ; ex quo autem ultimò filiam partu sat  
 felici enixa fuerat , male habere cœpit , & ab domine non decre-  
 scente , quin potius in majorem molem undiq ; sese expandente ,  
 alterum adhuc in ventre fœtum sese habere putavit : Verum  
 pessimis quotidie supervenientibus symptomatibus , tertia à  
 partu septimana diem obiit supremum ; cùm igitur Parentimeo  
 facultas tunc data fuerit , ut cada vere aperto tumidi ventris  
 causam exactius perspiceret , facta decenti abdominis rese-  
 ctione stupenda magnitudinis hocce Epar sese obtulit , utrumq ;  
 non solùm hypochondrium , sed & maximam imi ventris regi-  
 onem occupans , & præter magnitudinem prorsus singularem à  
 scirrbo hinc inde induratos & prominulos acinos glandulosos  
 exhibens . Hujus igitur observationis occasione ad scirrhæ  
 hepatis generationem & solutionem declarandam  
 merecipiam , si prius Divini Numinis auxilium  
 imploravero , imploratum impetra-  
 vero !



## THESIS I.

**S**cirrhi hepatis doctrinam ulterius juxta artis præcepta prosecuturus ordior ab ipsâ *Etymologiâ*, ἀρχὴ γὰρ τῆς παθεύσεως ἐστὶ τῶν ὄνομάτων ἐπίσκεψις, & contrà τῶν ὄνομάτων χερησίς ταραχθεῖσα, καὶ τὴν τῶν πραγμάτων ἐπιταράττει γνῶσιν.

## II.

Accipit verò nomen latinitate donatum *Scirrhus* natales suos à græco σκίρρος aut verbo σκιρρώω *induro*, quia eo correpta pars aliás mollis dura evadit. Latinis etiam *durus Tumor*, & similiter Germanis eine harte oder verhärtete Geschwulst audit.

## III.

Sed cùm animo mecum constituerim, non generalem Scirrhi sed specialem *Scirrhi Epatis* pertractare indolem, hujus Definitio ante omnia tradenda erit. *Est ergo Scirrhus Epatis tumor durus præternaturalis, sine febre, cum dolore obscuro & gravativo præsertim ab initio conjunctus, originē sumens à lymphā pituitoso-melancholicā, siue particulis viscosis, salinis acidis, ac tartareis coagulativis scatente.*

## IV.

Generis loco ponitur *Tumor*, unde statim patet, *Scirrum Epatis ad morbos auctæ magnitudinis pertinere, concurrente simul morbo intemperiei frigidæ veteribus diætæ. Differentia specifica per febris absentiam & dolorem obscurum gravativum exprimitur, sic enim scirrhus epatis inflammationi ejusdem contradistinguitur.*

Pars affecta adæquata Epar totum, proxima existit glandulosorum acinorum compages, substantiam Epatis, pro Parenchymate quondam habitam, præcipue constitutens. Paucis enim abhinc annis magnus seculi Anatomicus *Marcellus Malpighius* in *Exercit. destrudurâ Viscerum C. III.* eruditè demonstravit: Epar glandulam conglomeratam esse, & remotâ membranâ succingente innumeros lobulos ex glandulosis acinis hexagonis vel plurium laterum compositos exhibere, vasorum exilium propaginibus singulos appensos, & propriâ circumambiente membra investitos, atque continuatis per transversum membranosis nexibus colligatos; quam ipsam Epatis conformatiōnem sicuti *Malpighius* pluribus argumentis confirmavit, ita rudi etiam oculo quilibet conspiciet, dummodo enchirisin ab *Excellentissimo Dn. D. Bohnio*, Anatomico nulli secundo, in *Circul. Anatom. Physiolog. Progymn. XVII.* p. 261, propositam imitetur, Epar scilicet in aquâ calida maceret, simulque aquæ tepidæ per Venam portæ injectione ad albedinem usque idem eluat. Gaudet verò insuper Epar vasis adductoriis & abductoriis: adductoria sunt *Vena Portæ* & arteriæ *Cœliacæ ramus dexter*, ut & nervorum surculi à pari vago dimissi. Abductoria sunt, *vasa lymphatica*, *biliaria*, & *vesiculæ felleæ radices propriæ*, eruditè descriptæ & tum rationibus, quām experimentis demonstratæ à *Celeberrimo Bohnio l.c. pag. 265. & 266.* Porrò (quod ad affectus nostri noticiam adjicere juvabit) *sedem* suam sub diaphragmate in *dextro hypochondrio* obtinet Epar, atque ibidem duobus firmatur ligamentis, quorum unum *latum*, transversim per totam convexam jecinoris superficiem excurrens, quin in ipsam sese altius

altius insinuans substantiam, ab usu *suspensorium* dictum,  
*Epar tum diaphragmati*, tum mucronatae cartilagini an-  
ne&tit; *alterum teres & rotundum* è *fissurâ* erumpens, atque  
*Venæ Umbilicali*, occlusâ cavitate in ligamentum post par-  
tum degeneranti, ortum suum debens, *Epar cum umbilico*  
ita jungit, ne diaphragmatis motum impedit, vel in supi-  
no decubitu sursum relabatur. Plura de *vasorum* intrà  
*Epatis substantiam distributione*, atque *usu*, addere in præ-  
sentiarum non vacat, præsertim cùm anno abhinc supe-  
riori sub *Præsidio & Manuductione* VIRI NOBILISSIMI  
EXCELLENTISSIMI, atque EXPERIENTISSIMI D N.  
D. JOH. MAUR. HOFFMANNI, *Chemiæ & Anatomiæ*  
*Professoris longè Celeberrimi*, *Patroni & Fautoris*  
*mei sumi, & Præceptoris hactenus fidelissimi*, ( cui plurima,  
quæ scio, in acceptis referre debeo, & referam, dum spi-  
ritus hos regit artus,) *in Disputatione publica de Venâ Portæ*  
*eadem distincte proposuerim, quò etiam B. L. ablego.*

## V I.

Sed nunc ad materiam præsentis Disputationis per-  
tractandam revertor, cui cùm similes observationes hisce  
diebus offenderim, earum binas hūc etiam afferre placet.  
Nimirum *Heinricus à Möinichen in Epist. quadam ad*  
*Th. Barthol.* ( vid. *bujus Epist. Medic. Cent. 3. Epist. 1.* )  
*Romæ Anno 1659. 27. Septembr.* exarata scripsit: *Cœlestinum*  
*Cœlestini Cortonæ degentem in muliere quadagenariâ*, quæ  
sæpius pepererat, male ob suppressionem mensum pro gravidâ  
frustra habitâ, *Epar nuper invenisse* 40. librarum pondere.  
Sic & *Joh. Georg. Schenckius L. 3. obs. rar. de Liene obs. 9. ex*  
*Georgio Garnerio refert*, *hepar demortui cujusdam XI. li-*  
*bras ponderâsse*; hoc igitur proximè accessit pondere suo  
nostro hepati, cujus in præloquio mentio facta fuit, XII.  
libras.

libras cum dimidiâ ad æquanti. Confer. *Ephemerid. Naturæ Curiosor. Decur. II. Anni II. Observat. LXXI. annexum Scholion, & Decuria e jussdem, anni non ita pridem editi VI. obs. CCIII.*

## VII.

Visâ parte affectâ ordo requirit, ut *Causarum aggre- diar scrutinium, quas in proximam, antecedentes, & pro- tardicas ad exemplum Doctorum in arte Medicâ dispesce- re placet.* *Proximam* statuo *lympham pituitoso-melancholi- cam, sive accuratiùs loquendo, particulis indigestis, viscosis, salinis acidis ac tartareis coagulati-vis scatentem, talis enim dum intra meatus glandulosorum acinorum epatis subsi- stit, subsistendo magis magisq; incrassatur, hinc lympham recentem cum sanguine jugiter advenientem in motu suo quoque intercipit, ut hinc necessariò dein pori & meatus in dictis acinis infarcti undique distendantur, sicque Epa- tis moles universa consequenter in præternaturalem ma- gitudinem expandatur.* Eandem causam, aliis etsi ver- bis, videtur comprobare *Platerus*, quando *Scirrum* epatis non ab aliis humoribus excrementiis, sed ab ipso succo nutricio crassiori proficisci autumat, vid. *Prax. Tom. III. p. 199;* *lymp̄ha etenim, in quantum particulis chylosis perfusa est, succi nutrientis titulum quoq; mere- tur; ne dicam lymphā sanguine priorem in primâ con- ceptione non solum existere, & ex eâ nutrimentum primis staminibꝫ machinæ corporeæ apponi; sed etiā juxta mul- tos recentiores Medicos partibus solidis formatis & per- fectis extra uterum alimoniam ab eâdem suggeri: oꝫ μελαν- φος est Exc. *Bohnius in fine progymn. XIII. Circul. Anat. Physiolog. p. 205.* ita differens: *Sanguini imixtus latex sero- sus hujus potissimum partem constituit, i. e. præter lympham massa**

massa sanguinea pauciores moleculas possidet, immo lympha sanguine prior in primâ conceptione existit, adeoq; hujus forsitan author & productor primus appellari posset. Solidis demum partibus rorulentum existit restaurativum, & alimonia solitaria (ne spirituum animalium materiam tangam) donec depositis in sanguine particulis sulphureo salinis, in membris solidis substantiâ gelatinosâ, in pristinam puritatem homogeneitatemque sese vindicet hoc fluidum animale.

## VIII.

*Antecedens causa* obvenit tûm in eâdem lymphâ vitiosâ, in reliquâ massâ sanguineâ contentâ, & cum hâc per Venam Portæ ad Epar tendente, tûm in bile segniori, spissiori, & glutinosâ, vel calculosâ, lymphæ chylosæ in intestinis lentorem non satis emendante, quin ejusdem ut & sanguinis particulas magis inviscante, tûm in succo Pancreatico præter naturam acido vel austero, lympham ad coagulum subeundum disponente. Sub hunc censum porrò venit *cachexia universalis* totius corporis pituitosa vel melancholica, aut *particulare vitium acinorū glandulosorum epatis*, à pororum ampliore aperturâ vel fibrarum nimiâ laxitate, utrâque vel ab ortu primo tali, vel per causas varias demum introductâ, proveniens: Nec reticendi sunt *Icterus*, *inflammatio*, aliisque *Epatis morbi* prægressi.

## IX.

Conferunt verò ulterius ad Scirrhi Epatis *yeream* morbificum symbolum *Causæ procatarticæ in rerum non-naturalium Medicis dictarum serie passim occurrentes*.

## X.

Et aër quidem, quem probi lychnii nostri sustentatione perpetim suscipere & admittere cogimur, ansam nostro malo præbet, vel quando fervidior humores vitales

nimium exagitat, & particularum spirituofarum volatilium excessivam discussionem efficit, unde particulæ remanentes crassiores vectore idoneo quasi destitutæ, uti in aliis visceribus colatoriis, ita in Epatis cribro poris angustioribus prædicto subsistunt & condensantur; vel quando idem *acido* ex effluviis terraqueis *solaribus* aut *lunaribus* suscepito inquinatus lympham cum sanguine ad coagulum disponit; vel quando *repentinâ* sui ex calido in frigidum mutatione stagnationi humorum suppetias fert.

## XI.

Post aërem *cibi*, quorum altera quasi ab illo nobis impendet necessitas, uti aliorum morborum, ita scirrhī hepatis pessimi sæpè existunt authores, & quantitate, & qualitate, & multiplici varietate, & tempore incongruo nocivi. Quantitate, dum in tantâ assumuntur, quantæ dissolvendæ liquor gastricus impar est, ut inde cruditas viscuso-acida non possit nō in chylo & lymphâ oriri. Qualitate, quando vitiosi, lenti, crassi, crudi, sale conditi, fumo indurati, acidi, assumuntur. Multiplici varietate, unde chylus emergit πολύμορφος, particulis minus miscilibus perfusus, facile intra viscerum meatus subsistentibus. Tempore incongruō, quando nondum peractâ concoctione novi cibi ingeruntur, unde fœcunda plurium malorum scirrhique nostri mater cruditas prodit.

## XII.

Potulenta non minus in culpa sunt, ubi particulis scatent terreis, tartareis, fæculentis, acidis, cuiusmodi sunt vinum recens adhuc, minusque spirituosum, vinum item multo tartaro abundans, musta quævis fermentationem nondum repurgata; præprimis vero aquæ fabulosæ quales v. g. in Valesia scaturiunt, quæ morbos signunt incolis

colis endemios, strumas dictos, scirrhorum species, uti  
enim noster *scirrhos epatis acinos*, sic *scrophulae colli*  
*glandulas* occupant, non minùs aquæ paludosæ noxiæ cen-  
sendæ sunt, plurimis enim impuritatibus limosis scatent,  
intra hepatis aliorumque viscerum angustias remanenti-  
bus.

## XXIII.

*Somnum ac quietem, vigilias & motum, si excedant,*  
maximè nocere, *Hipp. testatur aph. 3. sed. 2. Somnus, in-*  
*quiens, & vigiliæ, utraque si immoderata sint, malum.* Vti  
verò somnus nimius peccat, particulas actu jamjam len-  
tas viscidiōres reddens, sic quoque cum quiete est com-  
paratum, etenim *capiunt vitium n̄i moveantur aquæ.* Et  
ceu vigiliæ nimia spiritus consumunt, par i ratione mo-  
tus incongruus eosdem dissipat, spirituosis autem ab-  
lumtis particulis *lympha stagnationi & coagulationi admo-*  
*dum obnoxia evadit.*

## XIV.

*Excreta & retenta inter causas affectus nostri proca-*  
taricas jure quoque recensentur: sive enim *nimia eve-*  
*niat humorum retinendorum excretio*, v. g. in *alvi fluxu*  
*nimio, in copioso urinæ secretione, in profusori sudatione,*  
*& mensum fluxu largiori* &c. sive *excernendorum fiat præ-*  
*ternaturalis retentio*, uti v. g. in *alvi adstringione acidum in*  
*corpore accumulante*, vel in *hæmorrhoidum mensumque*  
*suppressione* &c. &c. utrobiique *scirrho* occasio submini-  
stratur, dum ibi quidem spirituosalium sanguinis & lym-  
phæ particularum excessivum obtingit dispendium, unde  
eorundem humorum reliquiae vappescere incipiunt,  
& deficiente vi elasticâ segnius moventur, ac consequen-  
ter facile intra Epatis impeditissimas vias subsistunt; hic  
verò

verò excrementitiæ & heterogeneæ in M.S. redundantes portiones fæculentæ lympham coagulationi obnoxiam reddunt.

## X V.

Nec indita relinquenda sunt *animi pathemata* veherentiora, quibus spiritus animales labefactantur, his verò labefactatis lymphæ spiritu ascentia & activitas simul deperditur, crasis laudabilis pervertitur, ut hepatis scirrho inducendo ipsa habilis evadat.

## X VI.

Causis procatarcticis demum annumeranda restant Medicamenta, in prægressâ quandoque *Epatis inflammatione* applicata, validiora *digerentia* ac *resolventia*, quæ subtiliores materiæ impactæ partes evocant, crassiores verò relinqunt: hinc hæ successu temporis vi caloris magis incrassantur, siccantur, tandemque prorsus indurantur: Non absimili modo in culpâ esse potest nimius *refrigerantium* & *repellentium* remediorum usus, lympham epaticam incrassando, & calorem vitalem per sanguinis coagulationem suppressendo.

## X VII.

Absoluto *Causarum* examine ad *Signorum* contemplationem me accingo, primò de *Diagnosticis* locuturus. Patet itaque scirrus hepatis ex aliquali, præsertim ab initio, *dextri hypochondrii dolore*, vel potius *gravitatis sensu*, quem dupli de causâ oriri statuo: (1.) Scilicet ob nervum à glandulis aliquo modo pressum, (2.) ob membranam epar investientem, ut & partes vicinas sensu præeditas ab adauctâ ejusdem mole pressoriâ distentas: Cognoscitur insuper idem scirrus ex *respiratione difficulti*, non tam propter diaphragmatis motum liberum ab *Epatis* graviori pondere nimiâque magnitudine impeditum, quam

pro-

propter vesiculas pulmonales à diaphragmate , propter  
 epar amplius spatum exposcens nimiùm superiora ver-  
 sus propulso , coarctatas , & communem causam, lym-  
 pham scilicet vitiosam similem intra vesiculas pulmona-  
 les quoque collectam. Sunt quidem nonnulli, qui à solâ  
 hepatis cum diaphragmate connexione dictam respira-  
 tionis difficultatem provenire putant, at illius connexio-  
 nem respirationem non laedere solam, quin potius magni-  
 tudinem autem, facile probari poterit : nam in inspira-  
 tione diaphragmate deorsum vergente potius illius ten-  
 dentiam juvat pondus appensum , neque in exspiratione,  
 dum fornicatam figuram reassumere vult, illi est impedi-  
 mento, gravitatem enim pluralitas & latitudo ligamento-  
 rum non intendit, sed ad ejusdem alleviationem maximè  
 confert, dein dissectorum cadavera id probant , quorum  
 diaphragma hepatis erat connexum , sine respirationis ta-  
 men in vitâ dispendio. Adhæc scirrhi hepatis judicium  
 desumere licet ex *duritie & renitentiâ* , quæ tactu percipi-  
 tur in *hypochondriô dextro*, præsertim si abdomen sit gra-  
 cile pinguedinis ferè expers, itemque si æger stet erectus,  
 vel si inclinet in latus dextrum , non decumbat supinus ,  
 tum quippe non nisi pressu animadverti scirrus potest.  
 Porrò ægri *decubitus in dextrum latus est facilior* , in *fundi-  
 strum gravior* , in hoc namque si decumbat , scirrhosum  
 epar veluti moles quædam ac pondus in ventriculum in-  
 cumbit illumque premit. *Pulsus* notatur *tardior* à viscidiori  
 sanguinis substantiâ, sanguis namque viscidior non  
 tam promptè ex corde in arteriarum canales impelli po-  
 test. *Appetitus* observatur *depravatus* , à portionibus li-  
 quoris gastrici viscosis lentore suo fibrillas nerveas ven-  
 triculi, & cum primis oris cibis sinistri, involventibus. *Alvus*

*obstructa* concurrit, tūm ob pituitæ intestinalis æmulam glutinositatem, tūm ob bilis deficientem stimulum. Accedit corporis & præsertim faciei decoloratio, dum pallet, livet, aut alio defœdatur colore; supervenit quibusdam macies & inflatio corporis *cachectica*. In fœminis scirrho laborantibus insuper mensum obstructio & mammarum tumescientia concurrit, ille à sanguinis visciditate oscula vasorum uterinorum obstruente, hæc à lymphâ glandulas mammarum obturante. Sed de signis diagnosticis hæc dicta sufficiant.

## XIX.

Circà Prognosin tria notanda occurunt: (1) Qualis sit morbi futurus eventus? (2) Quomodo futurus? (3) Quo tempore sit futurus? Quoad primum ratione causæ peccantis, si scirrhus sit incipiens, si lymphæ subsistentis minor peccet copia, aut coagulatio non adeò fixa invaluerit, ut medicamentorum vis facile penetrare, particularum arctiore compagem discontinuare, easque viscidas licet adhuc incidere possit, salutis spem facere licet: Contrà si scirrhus sit inveteratus, confirmatus, sumnumque attigerit perfectionis gradum, omnem quia eludit medicamentorum vim, pro incurabili habendus est: Ratione partis affectæ, si fibræ glandularum nimis fuerint extensæ, ita ut sui contractione lympham vitiosam subsistentem eliminare nequeant, eventus exitiosus omnino prædicti debet. Ratione demum corporis scirrhus correpti, si illud firmâ aliâs gavisum sit valetudine, & medicamentorum usum facile admittat, curatio desiderata speranda est, nulla contra, si corpori debili scirrhus superveniat, ubi caloris vitalis activitas pro medicamentorum actuatione necessaria deficit.

## XIX.

## XIX.

*Quoad secundum, quomodo morbi futurus eventus? sciendum, scirrum hepatis graviorem in atrophiam & tandem hydropem terminari, eundem ad suppurationem perductum facile in cancrum abire: atrophia enim impediat lymphæ chylosæ ex Epate non solum, sed ex glandulis mesenterii aliis simul plerumque induratis, ad cor & inde ad reliquas partes nutriendas, interceptam distributionem necessariò sequitur: hydrops ruptis à tenacitate ac glutinositate lymphæ vasculis teneris, hincque ejusdem provenienti effusioni, succedit. Suppuratio facta cancrum accersit, propter acidum in lymphâ intercepta delitescens, acrimoniam malignam arsenicalem per longiorrem moram acquirens.*

## XX.

*Quoad tertium, quo tempore sit morbi futurus eventus? Si sit scirrus recens, diu non durat, & facile breviique temporis spatio curatur, lymphâ namque peccans resolvi & extra corporis pomœria adhuc eliminari medicamentis idoneis potest; si autem scirrus sit in veteratus duritiemq; acquisiverit insignem,inemendabile malum fore chronicum, ipsâ etiam experientâ teste, nullus ambiget.*

## XXI.

*Atque haec tenus Modum generationis scirri ex causis propriis deduxi, subnexis signis notatu dignis: nunc agendum gradum promotebo ad ejusdem Modum solutionis vel Curationem: quæ quidem tribus sequentibus circumscripta est indicationibus. 1. Ut Causæ futuræ procatardicæ scirri epatis per decentem rerum nonnaturalium usum præcaueantur. 2. Causæ antecedentes emendentur, evacuantur, & prohibeantur, quò minus in causam proximam morbi-*

bificam abeant. 3. Causa proxima, simulque morbus tanquam effectus, tollatur.

## XXII.

*Indicationi.* Diæta legitima à Medico subordinanda, eaque hunc in modum præscribenda est. *Aér* sit purus & moderatè calidus, isque vel naturâ, vel arte factus. *Cibi* sumantur evchymi facilisque concoctionis, in modicâ quantitate tamen capiendi, vitentur verò omnes particulis acidis, viscidis, terrestribus, glutinosis constantes. *Panis* sit bene coctus & ritè fermentatus. *Juscula* exhibeantur rad. aperient. herb. scolopendr. epat. nobil. frægar. chærefol. petroselin. borrag. &c. alterata; *Potus* sit vinum partium tenuium, neutiquam craffsum novellum aut fæculentiis tartareis multis refertum. Caveant autem præprimis sibi ægroti ab aquis impuris salebrosis vel fabulosis. *Motus* & *quies* moderatè instituantur, quamvis motus justo tempore quieti semper præferri debeat. *Somnus* & vigiliæ se mutuò, ex lege & ordine naturæ conveniente, excipiant. *Excreta* & *retenta* à mediocritatis & temperamenti normâ nec excedant, nec deficiant; *alvus* autem aperta servetur tum per cibos humectando lubricantes & abstergentes, tum per enemata ex emollientibus & aperientibus simplicibus parata. Demum inter animi pathemata, humorum vitalium vigorem deprimentia, mœror, tristitia, curæque graviores tradantur protervis in mare creticum portanda ventis, & ægri animus ad hilariatem componatur. Summa diæta expressa legitur in aurea illa Phocylidis regulâ:

Μέτρω μὲν Φαγεῖν, κὴ πιεῖν, κὴ μυθολογένειν,  
Πάντων μέτρου ἀριστού, υπερβασίη δὲ αλεεινή.

*Moderatè cibum potumq; sumas & loquaris,*

*Modus omnium optimus est, excessus autem vitandus est.*

## XXIII.

*Indicationi II.* prospiciunt medicamenta humores viscosos, pituitosos, salinos acidos, ac tartareos coagulatius, præparantia, evacuantia, & alterantia : Præparantia vel digestiva hinc profutura esse poterint, *tartarus vitriolatus*, *cremor tartari chalybeatus*, *arcanum duplicat*. *Myns. arcan. tartari Noric. terra foliata tartari* &c.

Evacuantia sunt *vomitoria*, *purgantia*, *diaphoretica*, & *diuretica*. &c: *Vomitoria* quidem, si ventriculus faburrâ vitiosâ animadvertisatur aggravatus, & ægri dispositio, vi-riumque ratio illa permittat, usurpentur, e. g. *Tartarus emet*. *Mynsicht*. *Aq. bened. Rulandi, Oxyfaccb. emet*. *Ludovici, Syrupus emet*. *Salæ* &c.

*Purgantia* autem pro impuritatibus humorum eva-  
cuandis exhibeantur talia, quæ simul humores viscosos  
attenuandi atq; colliquandi singulari pollent facultate e.g.  
*Pulv. diafen*. *Montagnan. mercurius dulcis*, *Infus. fol.*  
*senæ cum aqua cichor. veltarax*. & stimulo salino abstensi-vo,  
*pilul. tartar. Bontii, de fumar. pil. spadanæ Eligmanni, de*  
*ammoniaco Quercetan*. &c. *Lazarus Riverius Prax. Me-*  
*dic. lib. XI. c. V.* sequentes pilulas ad scirrhum emollien-  
dum mirabilis dicit esse efficaciæ. R. *Aloës opt. & gum-*  
*mi ammon. in aceto soluti, & trajehti per setaceum, atque*  
*iterum inspissati à à 3ʒ. mercurii dulc. 3j. cum oxymelle squilli-*  
*tic. F. Massa pilul. de quā capiatur 3ʒ. quatuor horas ante*  
*prandium singulis diebus, per 20. aut 30. dies.*

*Diaphoretica humores viscosos fundentia, attenuentia,*  
& *educentia* multùm emolumenti hūc afferent, viz. *Deco-*  
*dum C. C. C. raff. Rasur. lign. juniperi, sassafras. guajaci cum*  
*sem. fœniculi paratum; essentia lignorum, tinctura bezoard.*  
*Michaël. spiritus theriac. camphoratus, salia fumar. card. be-*  
*ned.*

ned. absinthii, & lixiua quævis, tūm salia volatilia, tartari,  
C. C. eboris, alealinis absorbentibus in justâ proportione  
combinanda ; quorum vim h̄ic salutarem æmulabuntur  
*Diuretica*, in primis spiritus aperitiū. Penot. spiritus salis  
armoniaci anisatus, tinctura tartari, millepedes præparati, sal  
volat. succini, & plura alia ex scriptoribus materiae Medicæ  
petenda.

## XXIV.

*Indicationi III.* opem suggerunt lympham vitiosam in-  
tra hepatis glandulosos acinos coagulatam resolventia, uti  
sunt: Rad. s. aperient. enul. ari, imperator. cichor. tarax. che-  
lid. major. Herb. menth. rosmar. agrimon. scolopendr. ab-  
sinth. card. bened. cuscuta, fragar. fumar. marrub. Fl. ge-  
nist. Summit. centaur. min. sem. nasturt. cochleariae, dauci,  
Bacc. juniper. &c. cum quibus Apozemata vel Vina medi-  
cata pro lubitu confici poterint. Singularem quoque  
efficaciam pro eodem scopo exserunt *martialia* remedia,  
*crocus martis aperiti-vus*, mars solubilis Willisi, tinctura  
*martis aperiti-va* Zwelferi vel Ludo-vici, essentia martis  
cum vino mal-vatico vel succo pomorum borsdorffianor. pa-  
rata, flor. salis armoniaci martiales &c. Plura ex chalybe pro-  
ducta medicamenta leg. apud River. prax. Lib. XI. c. 3.

## XXV.

Sed nec negligendus est pro scirrho hepatis emollien-  
do & resolvendo remediorum extenorū usus : Eapro-  
pter epatis regioni applicetur Cerat. de ammon. Empl. ad  
scirrhosas durities Excell. D. D. Hoffmanni Senioris, Pa-  
troni & Præceptoris mei omni observantiæ cultu de vene-  
randi, Empl. malacticum Spedat. Dn. Decani, Empl. de me-  
lilotto, de mucilaginibus, de cicuta, vel inungatur Ung. di-  
alth. ol. amygd. amar. lil. albor. absinth. cappar. chamæmel. &c.

pro

pro majori penetratione additis oleis destillatis, carvi, terebinthin. chamæmel. absinthii, juniperi &c., axungia anseris, gallinæ, anatis, &c. Vel parentur cataplasma & fomenta epati admovenda, ex rad. alth. bryon. lil. alb. fol. malv. branc. ursin. violar. fragar. parietar. absinth. agrimon. flor. chamæmel. melilot. sambuc. hyperic. sem. lini, fœnugr. &c. in aquâ decoctis, vel jubeatur æger infidere balneo aquæ dulcis, cui infusum sit decoctum modo adductorum simplicium in latte factum.

## XXVI.

Sed nunc Plato quiescere jubet, utrum autem Lector benevolus Catone hoc contentus esse velit, arbitrio ejus relinquo: Contentum autem omnino forespero, si ætatem meam juvenilem, obsequium meliora monentibus promptum, & quotidiè plura addiscendi cupiditatem respxerit. Quod reliquum est DEO T. O. M. pro concessâ haetenus studiis conatibusq; meis singulari gratiâ ex humillimo corde maximas fundo gratias, utque supremus idem omnium rerum arbiter in posterum saluberrimam mortalium servandorum artem me magis magisque feliciter excolere, hinc exercere faciat, supplex rogo.

Sit nomen Domini benedictum  
in secula!

Errata potiora, quæ propter festinationem nimiam irrepererunt, B. L.  
ita corrigat: In Praefatione pag. 4. lin. 9. pro hypochondrii sinistri leg.  
dextri; pag. 6. lin. 23. post abductoria sunt, add. Venæ cavæ surculi;  
pag. 13. lin. 16. post verba diaphragma epati, add. latins & pluribus  
justo vinculis; pag. 14. lin. 7. pro ille leg. illa &c.

Doctri-

**D**Octrinam non prima negant , non ultima  
donant  
Tempora, sed felix Divâ data sorte facultas  
Ingenii, mentisque animi solertia pernix  
Tempora prima capit sibi amica, atq; ultima spe-  
rat

Frugifera. Ingenii vis & miracula mentis  
Jamdum A Y R E R E Tibi, lætè vernante juventâ,  
Concessa à Superis doctrinæ divite pectus  
Cultu exornârunt, plus ultrà Palladis artes  
Æternæ æternas pete, spondent Numinæ Musæ,  
Inter Phæbeas hederam Tibi serpere laurus.

*Bonis se applicans*

*Nobiliss. Dn. Doctorandum salvere, & res-  
porrò omnes prosperè gerere vovet  
&ominatur*

Joh. Maur. Hoffmann. D. P. P.  
& Facult. Medic. h. t. Decanus.

